



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

Rodrigues, Manuel

Lvgdvni, 1621

Nouitius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41743

minare, iuridicè creant ad certum tempus, & certa negotia Notarios, non possunt tamen perpetuos, præcipuè pro causis quæ extra Ordinè deciduntur. Sed Mendicantes virtute priuilegij à Pio V. Fratribus Prædicatoribus concessi, possunt plures sui Ordinis Fratres instituire Notarios publicos, pro intimandis mandatis & rescriptis Apostolicis, publicam vel priuatam Ordinis vtilitatem concernentibus, & his tanta debet haberi fides in iudicio, & extra, quanta Notariis publicis creatis à sua Sanctitate, Rege, aut Imperatore. *tom. 3. q. 8. art. 1.*

NOVITIUS.

Quoad receptionem,

Vide Priuilegium, Professio, Reseruatio casuum, Sepultura.

Receptio Nouitiorum in Ordine Minorum, pertinet ad Ministros Prouinciales; non autem ad eorum Vicarios, nisi eis expressè fuerit commissa, sicut eis, & aliis committi potest, *ex declaratione Nicolai III. eaque Prouincialium potestas à Ministro Generali restringibilis*

bilis est. Quod & verum est in aliis Ordinibus ex iure, nisi aliud eorum statuta decernant. *tom. 3. q. 9. art. 1.*

In Ordine Sanctæ Claræ, Nouitiarum ad religionem, vel professionem receptio ad solum Prouincialem, aut Visitatorem pertinet; in aliis autem, ad earum Superiores. *art. 2.*

De examine.

Examen necessarium ad Nouitiorum receptionem secundum constitutiones vniuscuiusque Ordinis, olim *Sixtus V.* mandauit fieri, & approbari ante vestitionem: sed *Greg. XII I.* pro Ordinibus Monachalibus, in quibus est perpetua filiatio, ad summariam inquisitionem restrinxit, ad quam vnus testis sufficit; ita tamen vt plenaria fieret ante professionem.

Clemens VIII. ne aliqui deterrerentur ab ingressu propter illam præuiam examinationem, concessit Ordini Prædicatorum, & per communicationem aliis, vt ad vestitionem sufficiat iuramentum ipsius Nouitij de conditionibus necessariis. *q. 10. art. 1.*

Quomodo examen eiusmodi fit faciendum tempore Nouitiatus à Prouinciali, & quatuor definitoribus, vel à Guardiano, & quatuor Discretis loci Nouitiatus, si eis cõmiserit Minister Prouincialis, *vide art. 2.*

De his autem *ex constitut. Sixti V.* sunt examinandi. 1. de Legitimatione. 2. de Commissione homicidij, furti, latrocinij, & similibus criminum 3. de ingenti grauamine æris alieni supra vires facultatũ suarum, & 4. de obligatione reddendorum ratiociniorum. *art. 3.*

Vnde prædictus summus Pontifex fecit valde rigorosam constitutionem contra Fratres temerè, non ex simplicitate, aut ignorantia admittentes ad Ordinem illegitimos, criminosos, & debitis & ratiociniis reddendis obnoxios, illos censuris subiiciens, quocumque pietatis, aut inordinatæ charitatis intuitu procedant; & sic receptorum professio irritatur. *q. 54. art. 6. in fine.*

Sed eam constitutionem modificauerunt, & ad terminos iuris communis

munis saltem quoad aliqua redue-
runt *Greg. XIV. & Clem. VIII.* ita
ut iam valida sit professio omnium
illegitimos, incestuosorum, & sa-
cilegorum, modò eorum Pater non
sit eiusdem Monasterij Monachus,
& tot eis suffragentur merita, ut
defectum natalium suppleant: & li-
cèt admittentes aliquos ex illis non
adeò præstantes, ut eorum conditio
defectum natalium suppleat, pec-
cent; nullam tamen incurrunt cen-
suram, nec eorum professio irrita-
tur: sicut irritabatur antea etiam
quoad filios naturaliter. *ibidem, & q.*
10. art. 4. & 5.

Professio homicidæ & crimino-
sorum iure irritatur, si ante ingres-
sum Iudex sæcularis processum in-
choarat, siue per viam accusationis,
siue inquisitionis: secus si post in-
gressum, vel si planè absolutus fue-
rat. *art. 7.*

Qui vouit Religionem ante com-
missum crimen, nec potuit votum
implere, etiam post inceptum pro-
cessum, potest fieri Religiosus; & ei
id iuramento afferenti credendum
est. *art. 8.*

Grauat^{us} a re alieno supra vires facultatum suarum, si ad soluenda debita sua lucrari possit sua industria, viribus, arte, vel alio honesto munere, neque licite, neque valide profiteatur; si tamen verè impotens sit ad soluendum per infortunium, cedendo bonis satisfacit; sicut & si creditores tam rigorosi essent, ut eum in carcerem conicerent, in quo lucrari non posset pro solutione facienda. *art. 9.*

Qui virginem spe futuri matrimonij decepit, tenetur satisfacere eandem dotando secundum illius conditionem, priusquam ingrediatur. *ibid.*

Islandenses, qui ut admittantur in certa collegia, iurant se post totos annos ituros in Angliam, Islandiam, &c. & fidem predicaturos, non obstante iuramento, possunt fieri Religiosi. *art. 10.*

Obnoxius reddendis ratiociniis ex administratione Reipub. vel privatae personae, si inde lis, aut molestia illata, aut probabiliter inferenda sit, est de iure incapax professionis. *art. 11.*

Hoc examen, & informatio super

per prædictis defectibus non requiritur in minoribus sedecim annis: nec in iis qui à sua patria longissime distant; nec denique in Religiosis migrantibus ad alium Ordinem, aut in Nouitiis Monialium. *art.*

De qualitate.

Vide Descendentia, Illegitimus.

Statutum prohibens recipi neophytos ad Religionem non invalidat professionem, nisi sit Apostolica auctoritate confirmatum; quia aliàs esset contra ius commune, atque adeò non esset validum. Iustum est tamen illud, quod præcipit expellere descendentes ex Iudæis, & Saracenis; iustis id causis exigentibus, & non odio generis, etsi non fiat auctoritate Apostolica: quanquam valeat eorum professio facta. *q. 11. art. 1.*

In Ordinibus Minorum & Minorum, *ex declarationibus Pauli III. & Greg. XIII.* profiteri non possunt, qui descendunt ex Iudæis, Saracenis, aut hæreticis, quorum ascendentium parentum corpora

aut statux vsque ad quartam generationem inclusiue, in vindictam fidei concremata sunt. Et in Ordine Minorum, etiam illi, qui nouiter fidem susceperunt. *art. 4.*

De etate.

Iuvenes adhuc impuberes, qui non possunt per etatem statim profiteri finito anno, ad Religionem admitti alij probant, alij melius improbant, ponderata iuuenum huius temporis malitia. Certum est tamen posse eiusmodi Nouitios, & Nouitias à parentibus, & tutoribus extrahi, antequam ad annos pubertatis peruenerint, qui sunt quatuordecim in filiis, in filiabus duodecim completi. *q. 13, art. 1.*

Puellæ minores duodecim annis, consentientibus parentibus ac tutoribus, non autem iisdem repugnantibus, recipi possunt, non ut Nouitiæ, sed ut puellæ deuotæ educationis gratia, licet habitum aliquem Regularem ferant; neque id prohibet *Concil. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 17. art. 2.*

Senes recipere ob multas causas non decet; absolutè tamen licita est
eorum

eorum receptio, præsertim si magna inde populi ædificatio sequatur.

art. 3.

De uxoris.

Maritus, qui sine licentia uxoris Religionem ingreditur, reuocari potest, nisi probet adulteram; item si vi, vel metu consentiat; secus est, si sponte anus consenserit; aut iuuenis castitatis votum emisit. Si tamen iuuenis absque tali voto simpliciter consenserit, potest Episcopus maritum compellere, ad cohabitandum cum ea. *qu. 13. art. 1.*

Quin etiam si sine licentia uxoris se, & sua bona Monasterio tradiderit, & reuocetur, prædicta bona erunt restituenda. *ibidem.*

Vxor dans simpliciter marito licentiam, non censetur ipso facto vouisse castitatem, quia præsumitur nescia iuris; secus si esset ante edocta, quia tunc censeretur votum conditionale emisisse, v.g. si maritus profiteretur. *art. 2.*

Maritus reuocatus ab vxore post professionē ipsa cōtradiciente emisam, post mortem uxoris tenetur redire.

redire. Quòd si rursus contraxerit, tenet quidem matrimonium, sed peccabit, nec tenebitur redire, secus si non contradixerit. *art. 3.*

Marito Nouitio existente contra voluntatem vxoris, potest etiam ipsa ingredi Monasterium contra consensum illius, nec poterit ab eo reuocari, nisi semel egressus cum illa cohabitarit: tunc enim illo non consentiente minimè licebit illi ingredi. *ibid.*

Sponsa ante consummatum matrimonium Religionem intrās, ante *Concil. Trid.* intra duos menses poterat emittere professionem; at post illud nequit: est enim expectanda ætas sedecim annorum, & annus probationis, ante quem elapsum professio esset irrita. *art. 4.*

De Libertate.

Licèt laudabile sit, inducere ad Religionem reformatam, non tamen induceret ad vouendum Religionis ingressum, ob periculum communiter inde nasci solitum. *q. 14. art. 2.*

Ex *Cons. Trident.* anathematizantur, qui mulierem cogunt ad ingredien-

dien

diendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad professionem emittendam, & similiter qui ea facere volentem sine iusta causa impediunt. Quæ intelligenda sunt effectu secuto. *art. 3.*

Qui autem cogit virū ad illa, vi, fraude, aut importunis precibus, licet peccet, non tamen excommunicatur; sed bene excommunicationem Papalem incurrunt, qui impediunt ingressum, aut iam indutos extrahunt, vel eos recipientibus iniuriam irrogant: dum tamen non destiterint à prædictis, postquam indulti *Eugenij I V.* facti *Benedictinis* notitiam habuerint. *art. 3.*

Nouitius simoniacè receptus, ubi sciuerit se ob donū receptum, tenetur habitum dimittere: nam Prælatus etiamsi prædicto dono secundario dumtaxat fuerit motus, nihilominus in foro fori simoniacus censebitur; quamuis si illud tanquam elemosynam principaliter propter Deum oblatam receperit, in foro cōscientiæ sit tutus, licet minùs principaliter respectum habuisset ad habitus dationem. *tom. 3. q. 63. art. 2.*

Auer

Auertens iuuenem à Religione, vel iam professum extrahens, licet grauitèr peccet, non tenetur tamen de præcepto se, aut alium dare Religioni, cum plenissima libertas ad vouendum requiritur. *art. 4.*

In illis tantum locis sunt Nouitij educandi, in quibus viget obseruantia Regularis; vnde peccant inducentes aliquem ad Religionem, vbi essentialia Regulæ non seruantur, quamuis Ecclesia eam toleret, ad vitandum maius malum. *Ita Caiet. art. 5.*

De anno probationis.

SECUNDUM iura antiqua masculus Scompleto 14. ætatis anno, mulier 12. ad professionem admittebantur; & ante annum probationis in Religione expletum, accedente Nouitij voluntate, & iusta causa interueniente cum consensu Prælati & Cõmunitatis. Sed post *Concilium Tridentinum* id non licet ante annum probationis expletum, & 16. suæ ætatis; aliàs irrita est professio. *quæst. 19. art. 1.*

Annus Nouitiatus computandus est de momento ad momentum, cum

cum sit materia fauorabilis; vnde profiteri potest ipso die quo annus fitur. *art. 4.*

Neque intelligendus est iste annus esse solaris, scilicet 365. dierum, & 6. horarum; sed ciuilis; vnde in anno Biffextili duo dies pro vno habentur. *art. 5.*

Concessum est à Pio V. Monialibus Sancti Dominici, vt Nouitia iudicio Medici statim moritura, pro sua consolatione, & vtilitate spirituali ante annum completum probationis, modo ætatem sufficientem habeat, profiteri possit in manibus Priorissæ, & lucrari indulgentiam plenariam. Quæ concessio omnino valida est, saltem quoad forum conscientix. Eiusmodi tamen Nouitiæ defunctæ nequit succedere Monasterium, sed eius parentes, qui ab intestato veniunt, quia est in fauorem spirituales Nouitiæ, non in præiudicium eorum qui veniunt ab intestato *art. 6.*

Nemini licet renunciare iuri anni probationis, & profiteri: cum sit ius publicum, cui nemo renunciare potest. *art. 7.*

Annus

Annus iste iure communi debet esse continuus; & non interpolatus, quamuis licetè interrumpatur ex priuilegio *Iulij I. l. si Superior* id iudicet expedire, quod non videtur abstulisse *Concil. Trident.* Et licet in Ordine Minorum constitutiones *Toletanæ* id fieri prohibeant, non tamen intendunt ysum dicti priuilegij tollere: vnde iusta exigente causa poterit Prouincialis in iis statutis dispensare; quod tamen rarissimè, aut certè nunquam est faciendum. *art. 8.*

De essentia Nouitiatus est, toto anno gestare habitum Regularem. *art. 9.*

Non tamen semper manere intra claustrum, modo egrediatur aut maneat de licentia sui Superioris. Quod intellige de viris; non autem de Monialibus, quæ si egrederentur, non satis experirentur rigorem Ordinis, qui maximè in clausura consistit. *art. 10.*

Regularis professus transiens ad alium Ordinem, debet in eo facere annum probationis; nam priuilegium *Leonis X.* contrarium per-

mitten

mittentis, iam per non vsum perit.

art. 11.

Recipientes ad professionem Novitium ante completum annū probationis, excommunicantur, nec valet eius professio. Et eadem censura innodantur illi, qui toto illo anno impediunt, ne liberè transeat ad alium Ordinem, nisi maior 16. anno. professionem expressam aut tacitam fecerit. art. 12.

De dispensatione bonorum.

Vide Bona, Donare, Dos.

Concilium Trid. sess. 25. de Regul. cap. 16. solum annullat obligationem inter viuos, & renunciationem bonorum intuitu Religionis factam ante ingressum; vel tempore Novitiatus ante completū 10. mensem, quia hi contractus statim privantes Novitium bonis, possent postea minuere libertatem; potest tamen ipse Novitius causa mortis testamentum condere, & dare ante 10. mensem, imò & ante ingressum. *quæst. 16. art. 1.*

Testamentum factum ante Religionis ingressum ab eo, qui nihil

V

cdgi

cogitavit de tali ingressu, secuta professione rumpitur quoad legitimam portionem Monasterio competentem; secus est, si cogitavit, & scienter nihil reliquit Monasterio, nec ante professionem animum mutavit. *art. 2.*

Iam professus in quocumque Ordine nequit, ne quidem in fauorem Religionis, testamentum ante professionem conditum mutare. *art. 3.*

Nouitius habens peculiū aduentitiū, cuius vsusfructus est patris, & proprietas filij, nullam habet de eo disponendi quoad vsusfructum potestatem; potest tamen relinquendo patri proprietatem, illi grauen imponere. *art. 4.*

Nouitius in Ordine Minorum non potest disponere de legato annuo tibi ad alimenta relicto, cum non debeat tale legatum ante diem præfixum, nec remaneat capax illius post professionem; in aliis autem Ordinibus, in quibus Monasterium capax illius die secuto succedit, aliter sentiendum, sicut & si annui redditus non legentur pro alimentis in singulos annos, sed di-

uidantur

O B E D I E N T I A. 307

indantur à testatore, exonerandi heredis gratia. Et idem est iudicium de usufructu, cuius liberam dispositionem habet ubique Nouitius, cum sit verum ius acquisitum. *art. 5.*

Nouitij, cum non sint verè Religiosi, nec pro talibus habeantur, non subiiciuntur pœnis, aut reservationi casuum. *tom. 1. q. 21. art. 11.*

O B E D I E N T I A.

Vide Abbatissa, Beneficium, Clausura, Episcopus, Exemptio quoad Superiores, Pœnis, Votum.

Obedientia, secundum *D. Thom.* est virtus moralis promptam reddens voluntatem, ad implendum voluntatem præcipientis. *tom. 3. q. 19. art. 1.*

Obligat in actibus exterioribus, & quibusdam interioribus, qui subsunt exterioribus, v.g. Prælato præcipienti, vt celebrans applicet talibus Missam, tenetur inferior parere. *art. 2.*

Nemo tenetur obedire in his quæ nullo modo pertinent ad Obedientiam Regularem; dummodo